IN PROCESSV GABRIELIS ANGORA ET ALIORVM SVPER IVR. FIR. FIEN. PRO EIVS REVOCATIONE.

Discursus Michaelis Pastor, liberalium artium, & I. V. D.

INITIVM A DOMINO.

INhibet præsens iuris firma omnibus officialib9 Regijs, ne ad instantiam Hieronymi Peralta Notarij villæ de Calaceite, legatarij & commisarij, notullarum & Prothocolorũ Ioannis Sebil, & Ioannis Peralta, Notariorum defunctorum, aliorum ve legatariorum, nec comisariorum eorundẽ Prothocollorum, compellant firmantes vel eorum alterum ad recipienda publica instrumenta per dictos Notarios præmortuos recepta & testificata, nec ad solutionem iurium & salariorum á foro constitutorum: Nisi casu quo instrumenta præfata petita fuerint per partes in formã publicam leuari, & sibi traddi; & ne alias præmisorum ratione cõtra firmantes procedant.

Ex parte Hieronymi Peralta supplicatur, reuocari præsentẽ iur. fir. & dubitatur, num reuocari an potius confirmari de iure & foro debeat.

Vt autem huius articuli satis frequenter in praxi occurrentis vera resolutio habeatur duo casus distinguendi videntur. Aut enim dubitamus de Notario comisario notullarũ, & Prothocolorũ alterius prędefũcti, cui à iudice ordinario, ex quo successor prothocolorũ Notarius nõ est, interim notullæ & Prothocola cõmituntur, cui forus Curiarum Tirasonæ 1592. *De prouision de notas* authoritatẽ tribuit leuandi & extrahendi instrumenta a notullis & matrice. Aut vero loquimur de Notario legati aut hęreditatis titulo alioue legitimo, successore Prothocolorum.

Priori casu existimarem non

posse nec debere comissariū notullarum, vel Prothocollorum leuare, vel extrahere in mundum & publicam formam instrumenta, vt ea traddat partibus, & ab ipsis inuitis iura & salaria extorqueat. Ad ita sentiendum duo mouere possunt satis vrgentia fundamenta. Primum dessumitur ex *d. foro vnico. Tirasonæ de dicto anno* 1592. *titu. de prouision de notas*, statuente, quod demortuo Notario, relictis hęredibus, vel legatarijs notullarū, & prothocollorum vxore, aut filijs, nō notarijs defficiēte filio, nepote, vel genero Notarijs, iudicē ordinarium debere comēdare notulas, & prothocolla sub iure iurādo de fideli custodia Notario alicui vicino illius loci, & in deffectū, alterius propinquioris. Et deinde adijcit forus hæc verba *Dādole comissiō, para sacar los actos que le pidieren, hasta que el que huuiere heredado dichas notas y escripturas nombre Notario, para sacar dichos actos.* Quæ sané verba restrictiua mihi esse videntur facultatis huius Notarij, cui in subsidiū & ob deffectum Notarij proprietarij, ac legitimi successoris potestas, & comissio extrahendi publica instrumenta concedi tur. Cuius resolutionis necessaria ratio esse videtur: quod Notarius is comissarius, nihil aliud his in notulis, & extractione instrumentorum habet præter id, quod sibi impertitur illius fori determinatio, ad cuius terminos & normam comissio iudicis emanat, & conceditur: negari autem non potest facultatem extrahendi acta publica ab eo foro, non quidem simplicem, & absolutam fuisse concessam, sed cohibitā, restrictam, & qualificatam, sub requisito, quod acta publica extrahenda peterē tur à partibus, præpositio enim illa, ad, præposita illi accusatiuo extrahenda instrumenta petita, ex propria significatione nota est intētionis fori vt ex Cecilio docet Aulus Gelius *lib. 7. noct. Athicarum. c. 7.* & nouissimé Ioā. Vulteranus, *in lexicō*, loco istius præpositionis, *ad.* Imo & isto casu ex propria sui significatione nota solet esse conditionis *l. quibus diebus. §. Termillius. ff. de cōdit. & demōstratio.* Vel saltem modi vt Bart. & Bald. ibi annotarunt, & ex vtroque sensu apparet, pręsertim in materia sui natura strictæ significationis, ex verbis prædictis restrictam facultatem Notarijs commissaris, illo casu concedi.

Nec me in contrarium mouet, pōderatio á Dominis facta inter informandum: nihil in eo foro de salarijs exigendis tractari, sed de facultate extrahendi scripturas, & inde consequi, quod sicuti ea facultate, & comissione Notario attributa, si absq. partis instantia extraheret instrumenta, non videretur de illorum fide & authoritate dubitandum. Sic & esse credendum, forum illum respectu salarij debere mutuari passiuam ex foris antiquis interprætationē. Dupliciter enim respondeo, primo quidem, nullum esse inconueniens, quod facultas Notarij non

non ſolum ad exigenda ſalaria, ſit reſtricta ſub modo vel conditione ſi a partibus petantur, verumetiam, & quoad fidem inſtrumentorum. Imo eſſe multum probabile, quod nec alias extractis fides ſit adhibenda. Efficaci ratione, quia Notarius nõ rogatus, non poteſt extrahere ſumptum originale a matrice, niſi vel a iure & foro tãquam legitimo ſucceſſori illi committãtur matrices, vel tanquam comiſſario ex dicto foro á iudice ordinario. Prior comiſſio quæ á iure fit Notario legitimo ſucceſſori, generalis eſt, & indiſtincta, & ita de fide inſtrumentorum ab illo extractorum nullo caſu dubitari poſſet. Poſterior vero præfinita ad ſcripturas petitas a partibus, ergo in non petitis Notarius is non habet comiſſionem, ergo ſumptum non petitum non erit originale, ſed copia, ergo authoritate, & fide publica carebit.

Secundo reſpondeo, reſtrictinem illius fori Tiraſonę vrgentius influere quoad eximendas partes, ne ſoluant ſalarium ſcripturarum, non petitarum, quam quoad denegandam fidem eiſdem. Tum, quia non eſt pręciſſe ſine comiſſione, quã aliqualem habet, licet reſtrictam. Tum præmaxime, quia requiſitum petendi ſcripturas fauore partium ſcriptum videtur, ac pro inde merito, a non petitarum ſolutione facilius eximuntur.

Secundum vero fundamentum deſſumitur ex æquitate, & ratione diſtributiuæ Iuſtitiæ, quibus exiſtimo motos fuiſſe illius fori conditiones, ad reſtringendam illam facultatem Notarij comiſſarij pro extrahendis ſolũ petitis ſcripturis: ne ſcilicet alias quod ad vtilitatẽ Domini proprietarij ſcripturarum, & prothocollarũ inductũ erat in ipſius odiũ verteretur. Quippe facile eſſet Notario comiſſario ex fructuãdo ſcripturas; ita ſũpta ex illis extrahere, vt deinceps inutiles, & in fructiferę ad dominos peruenirent, & vt huic malo obuiã veniretur, for⁹ cauté præuenit comiſſarios petitas ſolũ a partib⁹ ſcripturas, poſſe ac debere extrahere. Hinc apparet, iſto caſu iuſte ab huiuſmodi Curia fuiſſe conceſſam iurisfirmam Iuratis, & Cõcilio del Fraſno, aduerſus quendam Notarium comiſſarium a iudice deputatum, ne extraheret, niſi petitas a partibus ſcripturas, nec ab illis inuitis ſalaria exigeret. Vide in proceſſu Iuratorum & concilij del Fraſno ſuper iurisfirma fiendorum.

Poſterior caſ⁹ magis in ancipiti verſatur, quid in Notario quì rogatus fuit inſtrumenta recipere, vel eius legitimo in proprietate Prothocolorum ſucceſſore dicendum ſit. Et huius reſolutio vera mihi petenda videtur a iure cõmuni, quaſi caſus is, pro, nec contra, deciſſus de foro nõ reperiatur. De foro etenim ſolum reperitur præſcripta forma recipiendi & teſtificandi inſtrumenta modo vna, modo altera, ſecundum qualitatem contra-

ctuum in eis contentorum, vt in foro *forma de testificar*, & in foro *forma procuratorij*. Et etiam statuitur modus salaria recipiẽdi, vt in foro *de taxatio. scriptur.* & in for. nouissimo Curiar. Tirasó. *tit. de prouision de notas*, præscribitur norma Prothocolla defunctiNotarij decendetis absque hærede Notario, alteri Notario committendi.

Cũ igitur præsens articulus ex iuris communis regulis decidendus sit, videtur dubio procul pro Hieronymo Peralta, & reuocatione iur. fir. resoluẽdus. Licet etenim in hoc iuris articulo, statim occurrãt ex Neothericis grauissimi duo Iureconsulti Fran. Beci. *cons. 27. per totum*, & Petrus Surdus *cons. 66. ex numer.* 1. ex diametro oppositi: Beci. enim *d. cons.* 27. secure resoluit, Notarium non posse instrumenta leuare, partibus tradere, ab eis inuitis mercedem consequi. Becij fundamenta & rationes huiusmodi sunt. Prior quod quis non debet pro alio laborare eo inuito, & minus, ratas habere operas, argu. *l. inuito. ff. de reg. iur. & l. si iudex. C. de Prædi. minor.* Ex priori autem rogitu non videtur Notarius de exemplatione etiam instrumenti rogatus.

Secunda, quia Notarius pro consequenda mercede & salario, cum officium iudicis non habeat (quod saltem in Regno nõ habemus) solum poterit actionem instituere, vel ex promisione, vel ex locato, vt declarat Barto. *in l. 1 §. ludi, de varijs & extra. cognit.* At rogitus ex quo promisio vel locatio posset considerari ad primam in matrice continuationem instrumenti, non autem ad exemplationem refertur. Igitur isto casu expertus Notarius sine actione, non auditur. *l. 1. vbi glos. de offi. aßessor.*

Tertio mouetur Beci. quia iure non reperiatur cautum, quod partes compellantur non petitorum instrumentorum salaria persoluere ipsis Notarijs.

Denique suæ patriæ consuetudinem in idem perpendit Beci.

Stat á contrario Petrus Surdus. *d. cons. 66. num. 4.* non obstãtibus Becij fundamentis, quem nominatim refellit, secure quoque docens, imo Notarijs licere ex vi prioris rogitus instrumẽta propria authoritate in publicam formam redigere, partibus traddere, & ab eis inuitis vtili actione ex locato mercedẽ consequi.

Videndum superest quænam ex his opinionibus Becij contra Notarium, an vero Surdi pro eo, iustior sit habenda, & in iudicijs & praxi obseruanda: Et re ipsa non sine labore nec ocio se perpensa in terminis huius secundi casus, Notarij scilicet rogati, eiusue in proprietate Prothocolorũ legitimi successoris, crediderim longe veriorem, & receptiorem esse opinionem Surdi pro Notario, quam sit altera Becij pro partibus & contra ipsum. Quid? imo Beci⁹ propria solum authoritate inniti videtur: Quamuis enim aparentes

tes illas rationes referat, neminem tamen ex DD. allegat, qui in terminis suam cōprobet sententiam.

Ex diuerso vero Petrus Surdus quamplures refert antiquorum DD. authoritates, tenentium in terminis, iusta vtili actione ex locato & petere, & consequi Notarium a rogantibus instrumenta, etiam inuitis in exēplatione, condignam mercedē.

Ego vero longius & ab origine repetens huiusmodi tractationem, inuenio iustiorem & receptissimam Surdi opinionem. Becij vero minus iustā, & a nemine vel a paucissimis tentam. Posset in primis perpendi authoritas glossæ, quā Geminian⁹ *ibi in fine dixit esse magistram* in materia textaionis salarij Notariorum, *in c. statutum. §. Notarium verb. officium vers. si vero, de rescri. in 6.* Quæ passim allegatur pro opinione quæ Notarijs fauet, quia tamen glos. illa & P. de Anchar. in finalibus verbis, ibi, cæterique interpræres, quāuis dicant debere iudicem Notario efflagitante, partes cogere ad soluendum salarium, quia tamen non exprimunt in proprijs terminis & indiuiduo casu, an id futurum sit, præcedente rogatione exēplationis, statim conuertor ad Barto. veritatis communem præceptorem, qui *in l. 1. § ludi. in fin. ff. de var. & extraor. cognit. & in l. argentarius. numer. 2. ff. de edendo.* expræsse docet competere Notarijs officiū iudicis, per quod possint impetrare, vt sibi constituatur salarium, & quamuis non habeamus officium iudicis in Aragonia, considerat tamen Barto. *ibidem vers. possemus*, ex locato actionem competere ex tacita locatione, quæ cum a factis expræssis, expressoque consensu progrediatur, erit quoque in Regno admitenda.

Salicet *in d. l. 1. §. ludi. de var. & extraor. cognit.* qui expræssius loquitur, quam *in l. 1. in fin. C. de eden.*

Angel. Aret. *in §. cum autem. numer. 8. institut. de adopti.*

Cagnol. *in l. si librarius. nume. 49. ff. de reg. iur.*

Felin. post Abbat. *in c. 1. num. 1. vers. qua actione de simon.* referens in id *glossam ver. absens in l. argentarius de eden.* nisi de publico haberet salarium, vt ex altera glos. in c. quoniam. de vita & honestate Clericorum, Felin. obseruat *supra vers. sed si Notarius.*

Bald. *tract. de tabellion. numer. 34.* resoluens, duo salaria iure cōpetere tabelionibus: Alterū, pro imbreuiatura. Alterum pro exemplatione, referēs, ita sensisse Guillem. de Cuneo *in l. si quis ex argentarijs. ff. de edendo.* dicens esse casum ... *in l. fin. C. de prin. agen. in reb. lib. 12.* & conducere textum *in l. in sacris. C. de proxi. sacro. scrin. eodem lib.* & cum hac opinione saltim iudicis officio Bald. pertransit.

Berthachin. *in tract. de Episco. num. 42.* resoluens ex Bart. ad duplicē mercedem, vtili actione ex locato posse Notariū agere

Ioannes Franciscus Pauinus *tract. de visitationibus 2. p. q. 4. n. 5.*

Guillemus Redoan. *de simon. mentali cap.* 25.*ex num.* 1. *vers.& notarius.*

*Decius in c.*1. *de probat. n.* 210. Bertazzol. *cons. Ciuili.* 58. *nume.* 53. vbi id expræse tenet cum Cagnolo.*vbi sup.*

Borgni. Caualcan.1.*p. decisionum in repertorio ver. notariusnu.*5.

Antonius Sola *ad constit Sabaudiæ titu.de donationi.decreto,Malicijs,glos.vn.* 3.*par.num.*4.*fol.*185. *& melius videndus titu. de tabelio. Glo. notarius num.* 2.*fol.* 232. reprobans Becium supra.

His accedere possunt omnes DD. *in cap.* 1. *de simonia* vbi Felin. *vers. si autē alius notarius,* Ludo. Rom. *singul.* 581. Deci. *cons.*654.*num.*1.*&* 2.Bald.*in l.*1. *num.*2.*C.mandati.* Speculat. *titulo de salar.procur. & tabel.numero* 5. Quatenus indefinite proponūt posse notarios duplicem,consequi mercedem, & pro rogitu,& pro exēplatione: Qui licet non aperiant sicut præcedentes an id procedat,partibus etiam non petentibus exempla instrumentorum, magis tamen est, quod intelligantur indistincte,cum in [illegible] loquantur.

Aparet ex his iustam, & receptissimam esse sentētiā quam deffendimus pro notario in hoc posteriori casu: Cōtrariam verò nec iustam nec receptam haberi posse,licet eam Tepatus teneat *tomo* 1.*tit.de Tabel.vers.notarius nō potest.fol.*117.

Proceditq; vrgentius in hoc Regno,si dupliciter pro ea expēdatur forus.*de taxatio. script.*primo quod ex eo,aliaue Regni legitima consuetudine, nulla merces pro primo rogitu scorsim notarijs assignetur, secūdo quod collectiue a foro illo,*portestificar, continuar,y en publica forma sacar,* vnicum notarijs salarium prestitutum est.Quæ res necessario mihi est argumento pro notarijs, & reuocatione huiusce iur.fir. Negari enim non potest, quin omnes agnoscant quot quot sunt scribentes, Notario saltem pro rogitu regulariter de iure salariū dberi:Imo & Becius ipse contrariæ opinionis assertor, in hoc multum illam fundat, quod scilicet ex patriæ suæ consuetudine, & pro rogitu, & pro exemplatione distincta merces,notarijs debeatur. Vnde colligit duplicem quoq; conductionem operarum Notarij,alteram imbreuiaturæ:Alteram exemplationis. Subinferens inde, quasi cōtractum rogitus nō influere ad exemplationem. Ideoq; neq; ex promissione, neq; ex locato Notarium pro exemplatione petere posse mercedem a partibus inuitis. Vniuersa ista Becij constructura prosternitur ex taxatione,& designatione vnici tantum salarij pro imbreuiatura & exēplatione,vt necessario fatendum sit, sine mercede mansuras operas Notarij, quas pars per rogitum indixit, quod esset contra communem DD.tradditionem: imo & contra rationem ipsam, vel fateri debemus vrgentiori iure nostram opinionem in hoc Regno procedere.

Quod vero conminiscitur, minutum quoddam salarium in Reg-

Regno ſolitũ eſſe Notarijs dari pro priori rogitu, nullo iure videtur in conſideratione habendum. Tum quia de tali cõſuetudine in proceſſu nõ aparet; Tum quia nec tale quid intelligitur a parte rei introductũ vni formiter, nec iure obligationis, imo nec alio quouis modo

Conducit multum quod in libro quodam multum antiquo, qui a varijs Notarijs de numero pręſentis Ciuitatis Cæſarauguſtæ magnifit, & retinetur cuius eſt inſcriptio. *Formulario de actos extraiudiciales, de la ſublime arte de la notaria* fo. 2. rub. *inſtrucciõ de fueros, col. 1. habentur* hec verba. *Deuen ſaber que actos pueden ſacar ſin ſe voluntad de las partes, las quales ſon obligados aquellos tomar, que ſon ſegun la platica comun, capitoles matrimoniales, hermandades, firmas de dot, donaciones, vendiciones, tributaciones, ſentencias arbitrales, cõtractos cenſales, teſtamentos, codicillos, & vltimas voluntades, por las pleiteſias que ſobre ellos ſe ſiguen.* Ex quo duplex reſultat ponderatio, altera quod in eo libro antiquitus Typis excuſo deciditur expręſſe noſter articulus. Secundo quod in eo refertur, id procedere ſecundum practicam communem.

Et ſecundum iſtam opinionem modernis temporibus fuiſſe in Regno iudicatum per manus traditur, licet etiã traddatur antiquitus pro contraria fuiſſe iudicatum, vt vidi obſeruatum apud nonnullos huius Regni practicos, quod tamen ex nuda relatione refero, cũ originales proceſſus, votaue, vel motiua in illis reddita, nec inuenerim, nec videre potuerim.

Ex præcedentibus facile Becio ſatis fieri poteſt, eius authoritati (quæ non ſolet parua, ſed egregia inter modernos eſſe), quod in noſtro caſu lõge poſt habẽda ſit, meritoq; fuerit poſt habita a Petro Surdo, cõcurrẽtibus pro Notarijs, & reuocatione huius iuris firmę tot grauiſsimis & antiquis. DD.

Fundamẽtis vero, priori, quod dici non poteſt abſq. mandato Notarium extraere inſtrumenta. Nam vt rectiſsime Cagnol. & Petrus Surdus, *qui ſup.* aduerterũt, ſatis rogans exẽplacionẽ mãdaſſe videtur, ex priori rogitu, & in Regno lõge ſecurius id procedit ratione vnitatis mercedis pro imbreuiatura, & ſumpto, & ita ceſat prior Becij ratio, cum dici non poſit, non fuiſſe locatas operas Notarij, etiam pro exemplatione, cum in eam prior rogitus, vnitaſq. ſalarij æque influint.

Ceſat & ſecunda. Quia ex receptiſsima ſententia vtilis ex locato actio cõpetit Notario pro mercede, vt dici nõ poſsit abſq. actione experiri:

Tercia quoq. ceſat quia tametſi verum eſſet aſſumptum Becij, quod expręſa lege cautum non reperiretur, pro exemplatione Notarijs mercedem deberi, etiam non petitis a partibus inſtrumentis, ſatis tamen eſt, quod id communi voto DD. in indiuiduo conſtituatur, & vbi nulla eſt aſsignata merces

pro priori rogitu, & maxime si vna pro vniuersis operibus Notariorum vt in Regno, naturali ratione suadetur, Notarios illud cõsequi posse a partibus inuitis, alias quippe suas operas inaniter locassent. Inaniter inquam, quia labor esset certus & infalibilis, in receptione scripturarum, & in scribendis eisdem in prothocolis ad longum, merces autem incerta, & pendens á mero nutu partium.

Quod deniq. conminiscitur a Becio de Patriæ consuetudine, magis prodest, quam obsit, cum similis consuetudo non vigeat in hac nostra Patria, nec de ea constat in processu.

Quod vero Cagnol. *in d.l.si librarius.num 49.vers. si tamen pars.* adijcit, quod si pars sua non interesse dicat, cogi nequit ad leuandum instrumentum, mouere non debet contra prçfatam resolutionem. Quoniam ea est diuersa materia, & quçstio, videtur enim ibi decidere Cagnolis a partibus tantum legitimis inuitis exigi salarium posse, & quã uis verba videantur sonare, satis esse, quod pars dicat sua non interesse, id tamen, vel cum effectu intelligendum est, quod a parte rei nihil intersit: vel quidẽ Cagnol. in alio sensu, parũ antea a se firmatis contradiceret, & cõmuni scholæ aduersaretur. Recognoui Abbatẽ, quẽ ipse allegat, *in cap. cum Petrus Tabelio de fide instrum.* Qui tamen restrictionem præfatam nequaquam probat: Quinimo, si restrictio illa admitenda esset, potius destructio esset communis sententiæ, cum facile futurum esset, partes verbo tenus dicere sua non interesse scripturas leuare.

Summa igitur disceptationis huius esse videtur: Notarium Comisarium non posse leuare, tradereq. partibus instrumenta, & ab eis inuitis mercedem consequi, vt in priori casu; Notarium vero proprietarium prothocolorum, iure id facere & consequi posse, ideoq. prçsentem Iuris firmam, inhibentẽ Hieronymo Peralta, & vti legatario, & vti comisario, traddere instrumenta, & mercedem consequi, & sic in casu licito & in prohibito, versari in reuocationis casu, & esse reuocandam, sub censura Dom. meorum Locumt.

Michaël Pastor.